

Nf. 16.

13b

OGDOADIS DISSERTATIONVM
DE

HAERESIOLOGIA

SECVLI POST CHRISTVM NATVM PRIMI
ET SECVNDI,

TERTIA

DE

ILLVSTRATIONE

HAERESIOLOGIAE BIBLICAE

EA,

QVAM

IGNATIVS IN EPISTOLIS SVIS ET RELIQVI SCRI-
PTORES ECCLESIASTICI EXHIBENT,

PRÆCIPVE

DE

CERINTHO, CERINTHIANIS ET NICOLAITIS,

QVAM

IN REGIA FRIDERICIANA

DIE IANVARII ANNI MDCCXXV.

Publico eruditorum examini subiicit

D. IOACHIMVS Sangel 9.

RESPONDENTE

IOACHIMO SCHVLZIO,

LENZA-PRIGNIC.

S. THEOL. CVLTORE.

HALÆ MAGDEB. TYPIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP.



DE
HÆRESIOLOGIA
SECULI POST CHRISTI NATIVITATEM
TERTIA
DE
ILLUSTRATIONE
HÆRESIOLOGIAE BIBLICAE
IN
IGNITIS ET FORTIBUS SUI ET REINOLDI SCHULZII
PROFESSORIS CATHOLICAE THEOLOGICÆ
FACULTATIS
DE
GERINTHO GERINTHIANIS
IN NICOLAIS
DE
IN
D. JOACHIMUS SCHULZII
THEOLOGUS
HABIT. MAGISTER THEOLOGICÆ FACULTATIS





MEMBRUM I.

DE

ILLVSTRATIONE HAERESIOLOGIAE BIBLICAЕ SECVLI I. EX EPISTOLIS IGNATHI DESVMTA.

Σύνοψις.

Ignatius hic praecipue audiendus est §. I.

Ex quo constat, haereticos huius aetatis plerosque fuisse gente Iudaeos, aut iudaizantes §. II.

Eosque in doctrina de Christo negasse vel eius divinitatem §. III.


Vel humanam eius naturam §. IV.

Item eius officium §. V.

Item porro, ipsius depravasse doctrinas ad ordinem salutis pertinentes §. VI.

Simul ex epistolis Ignatii constat, qualis censura haereticis doctrinae scandalis fuerit opposita §. VII.

§. I.



Nte alios omnes hic

confulendus est IGNATIVS in epistolis suis; utpote qui ad ipsam Apostolorum posteriorem aetatem pertinet, ideoque optime nobis declarat indolem haereticum, ab ipsis Apostolis notatarum, imprimis earum, quibus Ecclesiae Asiae turbatae fuerunt. Id quod ut eo reddatur manifestius, ipsius testimonia

A 2

monia eo exhibebo ordine, quem res ipsa subministrat, ali-
quot aphorismis præiturus.

§. II.

I. Hæretici huius ævi præcipui fuerunt gente Iu-
dæi, religione vero & confessione christiani quidem, at
enormius & periculosius iudaizantes.

Hoc est, quod comprobatur IGNATIVS epist. ad Ma-
gnesianos, n. VIII. *Ne seducamini τῶν ἑτεροδόξων, alienis
doctrinis, neque veteribus fabulis, quæ sunt inutiles. Si nam-
que ad hæc iuxta legem iudaicam vixerimus, consistemus, nos
gratiam non accepisse.*

Ibidem n. X. *Discipuli Christi effecti discamus secur-
dum christianismum vivere: Qui enim alio nomine vocatur
præter hæc, non est Dei. Abicite igitur malum fermentum,
in veteratum & acidum; & transmutemini in novum fermentum,
quod est Iesus Christus. Satiemini in ipso, ut non cor-
rumpatur aliquis in vobis. - Absurdum est Christum Iesum
profari & iudaizare. Christianismus enim non in iudaismo
credidit, sed iudaismus in Christianismum, ut omnis lingua
credens ad Deum aggregaretur.*

Epist. ad Philadelphenos n. VI. *Si quis iudaismum vobis
exponat, ne audiat ipsum. Melius enim est a viro circumci-
sionem habente christianismum audire, quam ab habente præ-
putium iudaismum. Si autem virique de Iesu Christo non lo-
quantur, isti mihi columnæ sepulchrales & mortuorum sunt
monumenta, quibus hominum nomina tantum inscripta sunt.*

Conf. Epist. ad Trallianos n. VI. *Obsecro vos, non ego, sed
caritas Christi, solo christiano alimento uti, ab aliena autem
herba abstinere, quæ est hæresis: qui hæretici & inquinatis im-
plicanti Iesum Christum, ratione dignitatis, quam obtinent, fi-
dem adepti: quemadmodum mortiferum pharmacum cum mul-
so dantes: quod qui ignorat, libenter cum voluptate noxia
mortem accipit.*

§. III.

§. III.

Hæretici quidam horum temporum negarunt Christum esse verum Dei filium, atque ita in persona eius naturam diuinam abnegarunt.

IGNATIVS ad *Magnesianos* n. VIII. *Ob hoc (euangelium de gratia accepta) diuinissimi propheta persecutionem passi sunt, gratia ipsius inspirati, ut, qui non credebant, certi redderentur, quod vnus Deus est, qui se ipsum manifestauit per Iesum Christum FILIUM SVVM, qui est VERBVM ipsius AETERNVM, non a silentio progrediens, &c.* Ad quæ vltima verba de *Sige Valentinianorum* inanis est disceptatio ISAACI VOSSII in h. l. apud COTELERVM in *Synagmate Patrum Apostolic.* ex edit. IO. CLERICI Tom, II, p. 19. nec non ex parte ipsius etiam COTELERII: qui tamen recte hæc interferit: *Sensus est, filium Dei, Iesum Christum, esse æternum Dei Verbum, quod non a silentio instar humane sermonis progrediatur, non post silentium prodeat, non e silentio ducat originem.* Et hunc ipsum istorum verborum sensum bene expressit epistolæ interpolator: *Deus omnipotens se ipsum manifestauit per Iesum Christum, filium suum, qui est ipsius λόγος & ὁθεός, ἀλλ' ἐσιώδης, verbum non pronuntiatum, sed essentialē.*

In epist. ad *Ephes.* n. VII, vbi, postquam dixerat, hæreticos vitandos esse *feras, canes rabidos, clam mordentes,* statim subiungit doctrinam, ipsorum errori opponendam, de Christo, aduersus istorum morbum & contagium vt *medico abibendo, factō & non factō, qui sit in homine existens Deus, ex Maria & ex Deo, primum passibilis, & tunc impassibilis.*

In hunc ipsum finem didascalico-elencticum IGNATIVS Christum *ἁγιός* vocat *Deum*, vt in epistola ad *Smyrneos* sub ipsum initium: *Glorifico Iesum Christum Deum.* In epistola ad *Polycarpum* sub finem: *Opto vos valere semper*

in Deo nostro Iesu Christo. In epistola ad Ephes. inscriptio: ne: - per voluntatem patris & Iesu Christi DEI NOSTRI: & n. I. per sanguinem Dei & n. XV. Ipse Dominus Iesus sit in nobis Deus noster. In inscriptione epist. ad Roman. secundum caritatem Iesu Christi, DEI nostri, & rursus ibid. in Iesu Christo Deo nostro. In ipsa epistola n. III. Ipse Deus noster, Iesus Christus, in patre existens. Etn. VIII. Panem DEI volo, panem caelestem, panem vitae, que est caro Iesu Christi, filii Dei - & potum DEI volo, sanguinem ipsius.

§. IV.

Primi seculi haretici alii, a præcedentis generis hareticis hac in parte diuersi, in persona Christi, concessa eius diuinitate, veram eius *ἑνωσιν* & humanam naturam negarunt, pro vero corpore aliquod corporis phantasma, nec veram, sed tantum apparentem, in compositionem Christo adscribentes.

IGNATIUS epist. ad Smyrneos n. II. Christus omnia hec passus est, propter nos, ut salutem consequamur. Et *ἀλθῆς* vere passus est, sicut & vere se ipsam resuscitauit. Non ut quidam *ἀπίστοι*. fide destituti, dicunt, secundum opinionem ipsum passum esse, ipsi secundum opinionem existentes: & quemadmodum sapiunt, sic & continget eis, qui phantastici sunt & demoniaci.

Item de iisdem ibid. n. IV. *Πρόμνησις* vos *ἀπὸ τῶν ἀγγέλων* *τῶν ἀνθρώπων*, contra bestias humanam formam præseferentes. Quos non solum oportet vos non recipere; sed, si fieri potest, neque obuiam eis fieri; solum vero pro ipsis orare, si quo modo penitentiam agant, quod difficile est. - Si enim opinione sola hec a Domino nostro sunt peracta, & ego opinione solum victus sum. n. τ. λ.

Item n. V. Iesum Christum quidam ignorantes abnegant; magis autem abnegati sunt ab ipso, patronei mortis magis, quam veritatis. Quibus nec prophetæ persuasere, nec Moysi lex, sed

nec

DISSERTATIO TERTIA.

7

nec euangelium in hunc usque diem, neque nostræ singulorum
passiones. Nam & de nobis id ipsum sentiunt. Quid enim
mibi prodest, si quis me laudet & Dominum meum blasphemet,
non confitens, αὐτὸν σαρκιοφόρον, AB IP SO CARNEM GESTA-
RI? Qui vero id non dicit, PRORSVS EVM NEGAVIT, ὡν
νεγκοφόρος, cadaver gestans. Epist. ad Magnesianos n. IX.
Quidam mortem Christi negant; per quod mysterium (mortis)
fidem accepimus, propter quod aduersa sustinemus &c.

Ibid. n. XI. Cupio vobis consultum, ne eis τὰ ἀγνοεῖα
ἴης νενοδοξίας, in hanc inanem doctrinam (τῶν ἰσθαίτων) incida-
tis; sed ut plene certi reddamini de natiuitate & passione
& resurrectione (quæ contigit tempore præfecturæ Pontii Pila-
ti) quæ vere & indubitanter gesta sunt a Christo Iesu, spe no-
stra: a qua exorbitare quemquam nostrum absit.

Epist. ad Trallianos n. IX, X. Obturate aures vestras,
cum vobis quispiam loquitur sine Iesu, qui ex genere Dau-
id, qui ex Maria, qui vere natus est, edit ac bibit, vere per-
secutionem passus est, sub Pontio Pilato; vere crucifixus &
mortuus est, videntibus caelestibus, terrestribus & subterra-
neis; qui & vere resurrexit a mortuis, resuscitante ipsum
Patre ipseus &c. Si vero, ut quidam athei, h. e. infideles, a-
iunt, ipsum secundum apparentiam esse passum, ipsi secundum
apparentiam existentes, ego quid vinculus sum? & cur opto cum
bestiis depugnare? frustra itaque morior. Et n. XI. Fugite igitur
malas propagines, quæ gignunt mortiferum fructum, quem se
quis gustauit, continuo moritur. α. τ. λ.

§. V.

Iidem hæretici, seu eorum quidam, etiam officium
Christi sacerdotale, atque ita veræ & euangelicæ gratiæ
œconomiam, negarunt, aut corruperunt.

IGNATIVS epist. ad Smyrneos n. VI. Considerate
ἰστροδοξίας εἰς τὴν χάριν ἰησοῦ χριστοῦ, τὴν εἰς ἡμᾶς ἐλθούσαν, eos
qui alienam opinionem tuentur contra gratiam Iesu Christi,
quæ

que ad nos venit, quomodo contrarii sint sententia Dei. Vide paulo ante, ubi illis denuntiatur iudicium, qui non credunt in sanguinem Christi, h. e. in Christum, tanquam eiusmodi sacerdotem, qui profuso sanguine suo piaculari nos redemerit.

Item n. VII. *Ab eucharistia & oratione abstinent, eo quod non confiteantur eucharistiam carnem esse saluatoris nostri Iesu Christi, que pro peccatis nostris passa est, quem Pater sua benignitate suscitavit. Qui ergo contradicunt huic dono Dei, altercantes moriuntur. - Decet itaque abstinere ab eiusmodi, & nec in privato, nec communi colloquio de illis verba facere; attendere autem Prophetis, præcipue vero Euangelio, in quo passio nobis ostensa & resurrectio perfecta est.*

§. VI

Hæretici hoc seculo cum erroribus doctrinæ grauioribus etiam vitæ ac morum prauitatem coniunxerunt, proditis vna cum abusu corruptelis doctrinæ de iustificatione, renouatione & libertate christiana.

IGNATIVS epist. ad Smyrnæos n. VI. *De caritate non est cura ipsis, non de vidua, non de orphano, non de oppresso, non de vincto vel soluto, non de esuriente, vel sitiante. Quæ bonorum operum omisso omnino includit affirmatam malorum commissionem.*

Epist. ad Ephes. n. VII. *Solent nonnulli malo dolo nomen (Christi) circumferre: sed parant quædam indigna Deo, quos oportet vos ut ferus declinare. Sunt enim canes & abidi, λατρεῖς ἀπίστοι, clam mordentes, quos a vobis vitari oportet, δυσθεραπεύτους, ut morbo difficulter curabili laborantes.*

Ep. ad Philadelphenos n. II, III. *Filii lucis & veritatis, fugite diuisionem, κακοδοξίας καλίας, prauas doctrinas. - Multi enim lupi fide digni habiti τὰς θεοδόξους, eos qui in Dei studio currunt, perniciosi voluptatibus illectos captiuos ducunt. Abstinate ab herbis noxiis, quas Christus non excolit. &c. Conf. 2. Petr. II, 10, 13, 14, 18, 19, 20,*

Epist.

Epist. ad Ephes. n. IX. *Noui nonnullos illic transisse, qui habent peruersam doctrinam. Quos non permisistis seminaré inter vos, & obturastis aures, ne reciperetis, quæ ab ipsis sunt disseminata.* u. r. l. Conf. n. XVI. *Ne erretis, fratres mei, faminarum corruptores regnum Dei non hæreditabunt. Si autem qui secundum carnem sint operati, morte sunt affecti; quanto magis si quis fidem Dei praua doctrina corrumpat, pro qua Iesus Christus crucifixus est.*

§. VII.

Ex his liquet, epistolis IGNATHII hæresologiam bibli-
cam egregie illustrari, præcipue cum eadem errorum capita in hac & illis designata videamus, atque ita hæreticos illos, ab Ignatio notatos speciatim, seu præcipue, fuisse ipsos *Nicolaitas* illos *Cerinthianos*, seculi primi *Gnosticos*, a Ioanne imprimis descriptos. Speciatim illud in hac harmonia obseruandum est, quod IGNATIVS, Christi & Apostolorum indolem imitatus, nullam aliam aduersus hæreticos, qua tales, *disciplinam & censuram* commendauit, quam quæ in *elencho & fuga* posita fuit: quemadmodum e diuersis locis antea allegatis constat. Nec prætereundum hic est, quod ab hæreticorum nominibus, alias quidem pro re nata non reticendis, abstinerit; & quidem data opera sub spe alicuius emendationis; quemadmodum ipse in epistola ad Smyrnæos n. V. his declarat verbis: *Nomina eorum, cum sint infidelia, non visum est mihi scribere; sed & absit a me, ut eorum mentionem faciam, donec resipiscant in passionem, quæ est nostræ resurrectionis.* Vbi *resipiscere in passionem* est ita resipiscere, ut passio Christi, antea abnegata, tanquam vere talis, recte agnoscat, cum per eius agnitionem veram spiritualis fiat resurrectio, & ipsius resurgentis Christi participatio.

Hæc hætenus de illustratione hæresologix biblicæ, ex epistolis IGNATHII petita. Pergo nunc ad recensionem hæresium huius seculi, quam reliqui scriptores ecclesiastici expresso hæreticorum nomine subministrant. Quorum tamen plerique sunt falso crediti, de quibus deinceps Dissert. IV. Nunc sequuntur illi, qui *vere* fuerunt *hæretici.*

B

MEM-

MEMBRUM II.

De

Illustratione hæresiologiæ biblicæ

ea, quam reliqui scriptores ecclesiastici subministrant; & quidem de Cerintho & Nicolaitis.

ARTICVLVS I.

DE

CERINTHO.

Σύνοψις.

DE Cerintho sex notanda sunt momenta §. I.

Quorum primum est de fontibus notitiæ §. II.

Secundum de Cerinthi & Merinthi nomine §. III.

Tertium de erroribus eius §. IV.

Speciatim de ebrietasno Cerinthiano §. V.

Vbi notatur litigius cum Fechtio §. VI.

Et controuersia undecim observationibus diiudicatur §. VII.

Ostenditurque, errores Cerinthi ipsam salutis fundamentum & ordinem euertisse. §. VIII.

Et eosdem iam in Apostolorum scriptis fuisse notatos §. IX.

Præteritisque iis, quæ de eo Philastrius & Epiphanius tradunt §. X. subiungitur recensio commercii cum Cerintho, a Ioanne detectati. §. XI.

§. I.

DE Cerintho acturi uniuersam tractationem commode ad sex capita, seu momenta, poterimus referre; quorum primum de fontibus huius notitiæ, secundum de nomine Cerinthi & Merinthi, tertium de erroribus præcipuis, quartum de errore circa regnum mille annorum speciatim, quintum de variis scripturæ locis, ubi Cerinthiana hæresis notari videtur, sextum de eius commercio, a Ioanne detectato, quam fieri poterit breuissime aget. §. II.

§ II.

*Monumenta antiquitatis de Cerintho hæc sunt: IRE-
NAEVS L. I. c. 25. cf. L. III, c. 11. TERTVLL. in appen-
dice ad librum de præscript. c. 48. EVSEB. H. E. L. III, c. 28.
Conf. L. IV, c. 14. L. VII, c. 25. EPIPHANIVS
Panar. Hæref. XXVIII. AVGVSTINVS Hæref. VIII,
THEODORETVS Hæretic. fabul. L. II, c. 3. Conf. PHI-
LASTRIVS de Hæref. c. 36. HIERONYMVVS in Catalogo
scriptorum c. 9. DAMASCENVVS Hæref. 28. Adponam hic
locum omnium antiquissimum IRENAEI, qui ex versione
antiqua non satis concinna in editione Grabianap. 102. ita se
habet: *Cerintus autem quidam in Asia non a primo DEO
factum esse mundum docuit, sed a virtute quadam valde sepa-
rata & distante ab ea principalitate, quæ est super vniuersa,
& ignorante eum, qui est super omnia, DEUM. Iesum autem sub-
iecit non ex virgine natum, (impossibile enim ei hoc visum) fu-
isse autem eum Iosephi & Mariæ filium, similiter vt reliqui o-
mnes homines, & plus potuisse iustitia & prudentia & sapi-
entia ab (h. e. præ, vide GRABIVM in notis ad h. l.) omnibus.
Et post baptismum descendisse in eum ab ea principalitate, quæ
est super omnia, Christum figura columba; & tunc annuntiasse
incognitum Patrem & virtutes perfecisse: in fine autem &
Iesum passum esse & resurrexisse: reuolasse iterum Christum
de Iesu: Christum autem impassibilem perseuerasse, existen-
tem spiritualem.**

§. III.

*Nomen Cerintus ab EPIPHANIO, AVGVSTINO
& DAMASCENO etiam exprimitur Merintus, sed non
determinantibus, vtrum vna eademque persona fuerit, nec
ne. Immo n. 8. hanc dubitationem suam Epiphanius aper-
te ita fatetur: Ceterum iidem illi Cerinthiani appellantur Me-
rinthiani: sic enim accepimus: Vtrum vero ὁ αὐτὸς κήρυξ
Μήνηςτος πάλιν ἐναλείτο, ipse Cerintus Merintus alio nomine
fit*

si dictus, liquido nescire me fateor: an præter hunc alter eo nomine appellatus existerit adiutor illius & socius, id quidem soli Deo compertum est &c. Cum vero Merinthus antiquioribus plane sit ignotus, & *μηνιδος* Græcis notet funiculum, seu laqueum, mirum est, Epiphanium hic hæsitasse, nec vidisse, Cerinthum a studio sectario per contemptum sæpe dictum fuisse Merinthum. Qualis mutationis exempla exhibet cel. IO. ALBERTVS FABRICIVS in codice N. T. Apocrypho Tom. I. p. 144. *Nihil frequentius est, inquam hæreticorum nomina in opprobrium ita deflecti, uti Adoxium dixerunt pro Eudoxio, pro Photino Photioque Scotinum, Atychen pro Eutyche, Catagnosticos pro Gnosticis, Anæthum pro Noëtho. Similia nominum ludibria etiam apud profanos scriptores, etiam in christianorum scriptis, occurrunt. Et in scripturis prophetarum passim videas nomina idolorum pariter, & qui Iudeos vexarunt, regum ita proferri, ut in dedecus & ignominiam deflecta esse facile appareat: &c.*

§. IV.

Errores Cerinthi secundum auctores iam allegatos præcipui fuerunt de persona Christi; utpote cuius diuinitatem negauit, & Iesum a Christo impie & quam absurdissime diuulsit. Item de lege ceremoniali; eam obseruatu necessariam esse ad salutem, speciatim eam de circumcisi. Porro de angelis, quorum commercia & reuelationes iactauit, asserens, eos mundum condidisse. Vnde vix dubium est, ipsum religiosum eorundem cultum propugnasse. Denique de regno mille annorum post resurrectionem in his teris, præcipue Hierosolymis, futuro, & tali quidem, cuius centrum cum omni peripheria futurum sit in carnis voluptate. Vnde dicti sunt *Chiliasæ, Milliasæ, Milliarum, Millenarii, Chilionerisæ*. E quibus corruptæ doctrinæ capitibus manifestum est, Cerinthum fuisse gente Iudæam, Iudaïsmum vero, eumque deprauatum, christianismo admiscuisse,

cuisse, atque ita hunc ipsum penitus deprauasse. Cum enim doctrinam de *persona Christi* non haberet integram, non potuit non etiam eam de eiusdem *officio & de salutis ordine*, in quo officii illius fit applicatio, corrumpere. Et doctrinæ istius de Christo deprauationem eo vsque omnino se diffudisse, ex eo etiam manifestum est, quod *salutis ordinem* non in conuersione & renouatione, nec in fide in Christum, sed in *iudaicorum rituum obseruatione* collocavit.

§. V.

Ad *regnum mille annorum* a Cerintho traditum speciatim quod attinet, de eo cel. THOMAS ITTIGIVS Differtat. de Hæresiarchis Sec. I Sect. I. cap. I. §. VII, p. m. 6r. inter alia hæc habet: *Quod nonnulli patres, in quibus & Irenæus, dum Cerinthi errores recensent, Chiliasmum omittunt, in promtu causa est, cum ipsi quoque millenario Christi regno addicti fuerint, secuti Papiam Hieropolitanum episcopum, quem eo nomine in suum hæreticorum catalogum retulit Bernbardus Luzenburgicus, etsi eum, non obstante isto errore, martyrologio suo inseruit Bayonius. - - Neque tamen eadem plane Cerinthi, quæ Papiæ aliorumque ecclesiæ doctorum, fuisse sententia videtur: qua de re Calixtus, Gerhardus, Voetius alique theologi videantur.*

§. VI.

Sic vir doctissimus, moderationem & æquitatem CALIXTI, GERHARDI, aliorumque secutus, primum sensit modestius ac benignius de sententia Papiæ, Irenæi & aliorum ex antiquioribus ecclesiæ doctoribus. At ab hac modestia rursus discessit in *Selectis Historiæ Eccl. sec. I. capitibus* c. V. §. XXXI, motus folius D. FECHTII auctoritate, quam ibidem, vt ipsi veritati æquitatque, sic etiam auctoritatibus CALIXTI, GERHARDI, SAGITTARII, KORTHOLTI, VOETHI, & aliorum, qui cum CAIO apud Eulc-

Eusebium & AVGVSTINO hæref. c. 8. dogma sanctorum Patrum a Cerinthiano errore distingvunt, præferre non dubitat, cum Fechtio suo inter hunc & istud, *vel nullam, vel exiguam differentiam agnoscens.* Et inter alia ibidem: *Vera, inquit, caussa, quod Irenæus de Cerinthi chiliasico errore tacuit, non alia est, quam quod Irenæus cum Cerintho in chiliasmi dogmate consensit. &c.*

§. VII.

Liceat mihi ea, qua par est, moderatione, solius veritatis caussa, qua vnice in historicis standum est, epicrisin meam de hac controuersia aliquot obseruationibus exhibere:

1. Venerandi Patres, qui cum IRENAEO millenarium Christi regnum, idque non nisi sanctum, in his terris statuerunt, hanc suam sententiam non hauserunt e Papiæ, Hieropolitano episcopo, sed ex Apocalypsi Ioannis c. XX, eamque aliis ipsorum prophetarum & Apostolorum oraculis confirmarunt ac illustrarunt.

2. Ad huius adserti probationem *a priori* vrgeo ipsum locum Ioanneum, qui doctoribus istis fuit ante oculos, & qui cum multis locis prophetarum parallelis non nisi per manifestissimam *ψευδεγραμνείαν*, pluribus nodis atque absurdis laborantem, ita explicari potest, vti a nonnullis contra mentem sanctorum patrum explicari solet: quemadmodum in *Systemate recentiorum controuersiarum anti-barbaro* Parte IV. Sect. II. ex instituto demonstraui.

3. *A posteriori* nobis instar omnium esse potest ipse IRENAEVUS, idem comprobans quam euentissime. Et enim ad huius materiæ tractationem delatus L. V. c. XXXII. sine vlla Papiæ, nedum Cerinthi, mentione, inter alia scripturæ oracula primo loco vrget illud Pauli in epistola ad Romanos c. VIII, 19. seqq. de gemitu creaturæ irrationalis & de liberatione eiusdem, cum manifestatione gloriæ filiorum Dei aliquando coniungenda.

4. Et

4. Et postquam idem argumentum c. XXXIII. adductum plurium Scripturæ locorum pro sua cognitionis mensura pluribus erat profecutus, ita pergit: *Prædicta itaque benedictio ad tempora regni sine contradictione pertinet, quando regnabunt iusti surgentes a mortuis: quando & creatura renouata & liberata multitudinem fructificabit uniuersæ escæ, ex rore cæli & ex fertilitate terræ: quemadmodum presbyteri meminerunt, qui Ioannem discipulum Domini viderunt, audisse se ab eo, quemadmodum de temporibus illis docebat Dominus & dicebat: Venient dies &c.*

5. Et cum Irenæus inter presbyteros illos, Ioannis Apostoli auditores & discipulos, ac doctrinæ eius testes locupletes, tacita mente iam procul dubio retulisset Papiam, istis omnibus præmissis demum ad hunc ipsum expressè prouocat: *Hæc autem, inquit, & Papias, Ioannis auditor, Polycarpi autem contubernalis (ἐταῖρος γερουσίας, sodalis, amicus qui fuerat) vetus homo (ἀρχαῖος ἀνὴρ) per scripturam testimonium perhibet (ἐγγράφως, ita vt scripturæ consentaneum est, ἐπιμαρτυρεῖ) in quarto librorum suorum &c.*

6. Hæc Irenæus cap. XXXIII. vbi friuolam FEVAR-DENTII censuram rectè castigat cæl. GRABIVS in notis. Et cum vir beatus sub capitis finem porro vrsisset vnum atque alterum Iesaiæ locum e cap. XI. & XXV. integro cap. XXXIV. sententiam suam claudit (vti ipsa capitis inscriptio habet) seu vberius confirmat, *variis Iesaiæ, Ezechielis, Ieremie & Danielis testimoniis, &c.* Imo cap. XXXV. contendit, testimonia in medium allata non posse per allegoriam intelligi, illisque alias prophetias ex Iesaiæ, Ieremie & Ioannis apocalypsi subiungit. Et denique capitis XXXVI. quod libri V. & ipsorum operum vltimum est, hæc est summa, eidem in ipso auctore præmissa: *Homines vere suscitabuntur, mundusque non penitus exterminabitur: erunt autem variae sanctorum (sanctorum, quibus nihil plane est commercii cum chiliasmo Cerinthi & degenerum Iudæorum*
Epi

Epicureo) mansiones pro cuiusque dignitate & omnia subiici-
entur Deo Patri, sicque erit omnia in omnibus.

7. Ex hac tractationis serie abundeliquet, nec Papiam ea, quæ de certa regni Christi periodo, secundum certam œconomiam mille annorum terminis circumscripta, sensit scripsitque, confinxisse ex ingenio suo, nedum a Cerintho adoptasse, sed e scriptis prophetarum & e viuis sermonibus Ioannis accepisse: nec Irenæum sua debere Papiæ, multo minus impuro Cerintho, sed iisdem sacrarum litterarum fontibus, ipsumque inter hos ipsos tantum allegare consensum Papiæ. Atque ita hinc porro constat, nec dici posse, quod aliorum Patrum consensus lubrico fundamento innatur, seu quod ipsos in errorem traduxerit Papias.

8. Recentiorum vero non nulli, qui doctrinæ istius originem non ad Ioannem, ne dum ad prophetas V. T., sed cum cel. ITTIGIO ad Papiam referunt, id ex eo faciunt præiudicio, quo negant, verba Ioannis secundum mentem Papiæ, & Irenæi aliorumque patrum esse accipienda, & doctrinam de sancto, (de sancto, inquam, non de impuro) mille annorum regno in Apocalypsi fundatam esse. Istam vero negationem omni fundamento prorsus destitui, & in *Ψευδεγραμείαν* loci Ioannei tantam abire, quæ non solum omnibus iustæ interpretationis legibus repugnet, sed quam plurimis etiam & nulla sagacitate solubilibus absurditatum ac difficultatum nodis se inuoluat, hoc est, quod, ut iam monui, in allegato libro ex instituto demonstraui.

9. Falsum itaque est, Irenæum ideo inter Cerinthi errores chiliasmum non retulisse, quod ipse eidem in sensu Cerinthiano fuerit addictus. Quod si eundem ex hypothese nonnullorum fouisset, ex ea sequeretur, quod ipsi haud probant; scilicet sententiam Cerinthi fuisse innocentem, a maleuolis vero sinistre explicatam acceptamque. Non enim nisi innocentem, eamque *ἡγίασθον*, doctrinam hac in parte beati patres habuerunt.

10. Quan-

10. Quando autem nonnulli adferunt, Papiam, Iustini Martyris, Irenæi aliorumque veterum ecclesiæ doctorum sententiam ab impuro dogmate Cerinthiano vel nullam, vel exiguam, habuisse differentiam, eo id faciunt consilio ac fine, vt, cum in ecclesia infame nomen sit Cerinthus, hac ratione etiam mala nota illi insigniantur, qui adhuc hodie sententiam Ioannis in Apocalypsi & in prophetarum oraculis quam plurimis secundum bonas hermeneuticæ leges ita interpretantur, vt negent, hæc & ista iam impleta esse, sed adhuc implenda restare. Atque ita, vt istud cum aliqua veri rectique specie fiat, duplicata iniuria ne ipsis quidem venerandis antiquissimorum patrum ac martyrum nominibus parcitur.

11. Nec quidquam hic quenquam iuuat auctoritas EVSEBII, qui Hist. Eccl. L. III. c. XXXIX. Papiam, in sententiæ eius hætenus consideratæ recensione, vocat *σφοδρα σμικρόν τὸν νῦν, tenui admodum iudicio præditum*, adferens, id e libris eius constare. Quemadmodum enim argumentum istud, quod ad asserti sui probationem illo in loco e libris eius adfert, nullius plane ponderis est, vti e deductione hætenus facta liquet: ita probabiliter etiam totius asserti eadem est ratio. Sufficere potuisset Eusebio dissensus sui significatio modesta, sine *ἀνωγίας* incusatione, iustæ rationis loco adhibita. Quid? quod ipse Eusebius L. III. c. XXXVI. Papiam, cum Polycarpo inter Apostolorum discipulos relatum, vocet *ἀνδρα λογιώτατον καὶ τῆς γραφῆς εὐδημονα, virum disertissimum & scripturæ peritum*. Quo elogio ipsam etiam ornât IRENAEVS, testatus, ipsum scripsisse *ἑγγράφως*, vt scripturæ consentaneum est; vti paulo ante percepinus.

§. VIII.

Reuertor ad errores Cerinthi, supra §. IV. notatos. Illos habuisse malignitatem *hæreseos*, non est dubium. Nam
doctri-

doctrinam euangelii primariam de *persona & officio Christi* i-
psoque salutis ordine, vt supra vidimus, adeo corruerunt, vt
per corruptelas hæcæ aditus ad salutem sectatoribus, cum
perseuerantia talibus, plane fuerit præclusus. Et cum hæc
pseudodidascalus apostolorum tempore vixerit, suaque er-
rorum femina longe lateque disperferit, vix esse potest du-
bium, ad ipsum & eius sectatores in epistolis Ioannis, et-
iam Apocalypticis illis, respici, & hos ipsos etiam ab I-
GNATIO passim in epistolis notari. Quod ipsum con-
firmat magna illa analogia, quam errores Cerinthi paulo
ante recensiti cum illis ipsis habent, qui in epistolis IGNA-
TII & IOANNIS deteguntur. Nec fundamento carere
videtur illa seniorum Asiae traditio apud IRENAEVM
L. II, c. II. & alios, quod Ioannes ab ipsis rogatus Euange-
lium suum Cerintho & Cerinthianis opposuerit.

§ IX.

Quod si Cerinthus ipsa dogmatum hæreticorum dis-
tinctione iam mediam apostolorum ætatem attigit, quod
non est improbabile; non est dubium, etiam in aliis Apo-
stolorum scriptis, præcipue Paulinis, ea damnari, præfer-
tim in epistolis ad *Galatas*, *Philippenses*, *Colossenses* & in
posteriori ad *Corinthios*, nec non in iis ad *Timotheum*. Id
saltem certum est, eosdem errores in iis detectos reici, siue
fuerint Cerinthi, siue aliorum. In istum enim errorum, e
Iudaismo male intellecto & peius applicato prognatorum,
labyrinthum eo tempore diuersis in locis incidisse plures,
vt credamus, tot apostolicorum monumentorum loca in-
dicant, & res ipsa, in communi aberrationum principio
posita, reddit manifestum.

§ X.

Si PHILASTRIO lib. de Hæref. c. 36. & EPIPHA-
NIO Hæref. XXVIII, n. 2. credimus, hic ipse Cerinthus
ecclesiasticis motibus Antiochiæ excitatis, Apostolis ha-
bendi

bendi concilii & promulgandi decreti, quod Act. XV. legitur, necessitatem imposuit; immo eorum etiam certaminum aduersus Petrum & Paulum, quæ Act. XI. & XXI. describuntur, auctor existit præcipuus. Id quod tamen suo loco relinquo: sicuti ea, quæ alias Cerintho tribuuntur, & antiquioribus non probata, certe ab iis prætermissa sunt, scilicet, quod Apostolorum Acta & Pauli epistolas reiecerit, nec non martyres fuerit criminatus, Iudam, vero proditorum honore dignum habuerit.

§. XI.

Ceterum restat illud historię Cerinthianę momentum, quod Ioannes Apostolus, cum aliquando ex improviso in balneo in eum incidisset, eius consortium omne, etiam externum, illico detrectauerit. Audiendus hic est EVSEBIUS, qui hoc ipsum ex IRENAEO & POLYCARPO L III c. 28. his refert verbis: *Irenæus Libro III. (nimirum capite eius 3.) aduersus hæreses ait, se a Polycarpo accepisse, Ioannem Apostolum, cum aliquando in balneum lauandi causa introiisset, & Cerinthum intus esse comperisset, statim ex eo loco se proripuisse, cum ne tectum quidem idem cum Cerintho subire sustineret, hortarumque esse comites suos, ut idem facerent, dicendo: fugiamus, ne balneum corruas, in quo Cerinthus est, veritatis inimicus.* Vbi notandum est, balnea publica pro feruentiore regionum climate in oriente fuisse non frequentissima solum, sed honestiora etiam. Effatum vero Ioannis de ruina ædificii, ob Cerinthi præsentiam metuenda, non tam metui euentus, quam grauitati detestationis, qua pestilentissimam eius hæresin est persecutus, adscribendum est.

ARTICVLVS II.

DE

NICOLAÏTIS.

Σύνοψις.

Nicolaum septemvirum Hieros. se-
ctæ auctorem esse tradit Irenæus

§. I.
At hæc traditionem fundamento
destitit, quinq̄ue rationibus probatur
§. II.

Quarum quinta a discrepantia
scriptorum desumpta pluribus declaratur,
et primum quidem in loco Irenæi §. III.

Deinde in eo Clementis Alexandri-
ni §. IV.

Qui pluribus consideratur §. V.

Porro in alio Clementis loco §. VI.
VII.

Nec non in aliis aliorum auctorum
locis, speciatim illo Epiphani §. VIII.

Quæ tamen huius viri aberratio
non abripienda est generatim in con-
tentum aliorum §. IX.

Subiungitur coniectura de occasio-

ne, unde orta sit opinio de Nicolao,
tanquam seclæ auctore §. X.

Ad hæc affirmatur quæstio, an Ni-
colaitæ fuerint hæretici, et affirma-
tio confirmatur quatuor argumentis
biblicis §. XI.

Quorum, post præmissum aliquod
certe veritatis suppositum §. XII. pri-
mum est in ipsa scandalorum vite
commemoratione §. XIII.

Secundum in expressa falsæ do-
ctrina mentione §. XIV.

Tertium in contexta §. XV.

Quartum in parallelismo epistola-
rum apostolicarum §. XVI.

Huc accedit argumentum quin-
tum ex Irenæo §. XVII.

Clauditur dissertatio epiphonema-
te de histore biblicæ illustratione et
obscuratione, per scriptores ecclesia-
sticos facta §. XIX.

§. I.

Nicolaitæ vulgo creduntur fuisse hæretici, a Nicolao,
ecclesiæ Hierosolymitanæ septemviro Act. VI, 5. ita
dicti. Et huius opinionis auctor est IRENAEVUS,
qui aduersus hæreses L. I. c. XXVII. secundum supersti-
tem antiquam textus Græci versionem, hæc habet: *Nicolai-
ta magistrum habent Nicolaum, unum ex septem, qui primi ad
Dia-*



Diaconom ab Apostolis ordinati sunt: qui indiscrete viuunt. Plenissime autem per Ioannis Apocalypsin manifestantur, qui sint, nullam differentiam esse, docentes, in moechando & idololatriâ edere. Quapropter dixit & de iis sermo: Sed hoc habes, quod odisti opera Nicolaitarum, quæ & ego odi. Irenæum e veteribus secuti sunt alii; & ita quidem, ut sententiam ipsius de sectæ auctore vel in melius, vel in deterius mutauerint, facta aliqua ad eam accessione. Et ab hisce auctoribus multos e recentioribus non discedere, mirum non est.

§ II.

Verum enim vero Irenæum cum illis, qui ipsum secuti sunt, in Nicolaitarum denominatione definienda, nimis fuisse credulum, prudentioribus non est dubium. Ego certe ut credam, traditionem istam fundamento carere, sequentia efficiunt argumenta:

1. *Silentium Lucæ;* qui cum leuiora ecclesiæ scandala, eo tempore data, non reticuerit, non videtur hoc scandalum Nicolai grauius, in primis si ratione euentus in sectam abiisset, non præteriturus fuisse.

2. *Elogium Nicolai egregium:* utpote qui Act. VI, cum collegis suis ex integro fidelium coetu selectus, cum iisdem dicitur habuisse optimum vitæ testimonium & repletus fuisse spiritu sancto ac sapientia: In qualem virum non cadit suspicio facti alicuius inconsulti, nedum flagitiosi.

3. *Notio vocis Græcæ* *νικόλαος* grammatica & mystica, cum notione grammatica vocis Hebrææ *בִּלְעָם* *Bileam* conueniens, & in Apocalypsi adhibita, ita ut *Nicolaitæ* temporum apostolicorum fuerint quasi *Bileamitæ* Moabitici, seu *Bileamitis*, aut ipsi potius *Bileamo* pseudo-propheta, simillimi. Et vocibus hisce, Græcæ ac Hebrææ, respondent aliæ vtriusque linguæ voces in Apocalypsi adhibita, uti sunt: *αβαδδων και απελλυων* Apoc. IX, 11, *διεβαλος και*

καὶ σατανᾶς Act. XII, 9. Sic etiam ἀββᾶ ὁ πατὴρ Rom. VIII, 15. καὶ καὶ ἀμὴν 2. Cor. I, 20. Repeto itaque hanc Differtat. II. p. 19. laudata hæc **CAMPEGII VITRINGÆ** verba ad Apoc. II, 6, 14, 15. *In tanta luce litterarum vix ferendæ sunt ineptiæ isforum hominum, qui ex Irenæo, Eusebio, Epiphonio aliisque veterum nobis obtrudere conantur auctorem hæresis huius Nicolaum, profelytum Ansiobenum, diaconis primis ecclesiæ Hierosolymitanæ Hellenisticæ adscriptum. Et vere absurda est fabula; quæ de hoc sancto & honesto viro dicitur. &c.*

4. *Discrepantia ipsorum scriptorum non bene de Nicolao sentientium, aut hæresin Nicolaitarum commemorantium. Quæ sane tanta est, vt, traditionem omnem de Nicolao, eius auctore, in fabulam recidere, manifestum sit. Id quod vt seorsum consideretur, at quam fieri poterit breuissime, instituti ratio postulat.*

§. III.

Primum circa ipsum *Irenæi locum*, tanquam primarium in hac disputatione, obseruandum est, ne ex hoc quidem certo euinci posse, quod Irenæus Nicolaum istum septemvirum Hierosolymitanum pro Nicolaitarum auctore ipse habuerit. Etenim cum textus librorum eius Græcus ætatem non tulerit, nescimus, quænam eius verba Græca expressa sint per hæc Latina: *Magistrum habens*; & ane fortasse ea reddenda fuerint: *magistrum iactans se habere*, vel *videtur habere*, vel alio modo. Ita enim **CLEMENTEM ALEXANDRINVM**, in cuius manibus iam fuisse videtur textus Irenæi Græcus, vna cum **EVSEBIO** eiusdem mentem expressisse, mox videbimus. Quid? quod ipse Irenæus in altero loco de Nicolaitis, qui L. III. c. XI. legitur ipsius Nicolai nullam plane mentionem iniiciat,

§. IV.

§. IV.

Ad CLEMENTEM ALEXANDRINUM quod attinet, is Stromatum L. II. edit. Wittenb. p. 411. hæc habet: *In eandem venit sententiam Arisippus Cyrenæus sophista, qui se iactat tenere veritatem. - Tales autem sunt, qui dicunt, (οἱ Φάσιοντες, QVI IACTANT) εἰντες Νικολάω ἑπεσθαί, se sequi Nicolaum, adducentes eius viri aliquid literarum monumentis mandatum (Gr. ἀπομνημόνευμα, rem aliquam narratam) sed ab eis desertum, nempe oportere carne vti (τὸ δὲν παραχρῆσθαι τῇ σαρκί, carne abutendum esse.) Sed ille quidem in præclarum significabat oportere voluptates arcere & cupiditates (Gr. ἀλλ' ὁ μὲν γενναῖος κολύειν δὲν ἐδῆς τὰς τε ἡδονὰς, τὰς δὲ ἐπιθυμίας κ. τ. λ. sed ille vir ingenuus, seu generosus, significabat arcendas esse voluptates ac cupiditates &c.) & hac exercitatione marcidas floccidasque reddere carnis appetitiones & insultus. Qui autem instar hircorum sunt effusi in voluptatem - ipsorum infossa est anima in coeno vitii, ut qui decretum (δῶγμα) ipsius voluptatis non autem viri apostolici (Nicolai) sequuntur.*

§. V.

Quis hic non videt innocentiam Nicolai, & vestigia fabellæ de ipso confictæ? in primis si testimonium hoc non secundum versionem, in locis innumeris ineptam (qualis etiam in aliis patrum scriptis deprehenditur) sed secundum ipsum textum Græcum, vulgo ab historicis neglectum, consideretur. Nam 1. Clemens expresse perhibet, sic dictos Nicolaitas nomen Nicolai, viri Apostolici, iactasse. 2. Esatum istud: *oportet carne abuti*, nititur ἀπομνημονεύμασι, narratione aliqua: sed inter quos? inter Nicolaitas: aut etiam inter alios? sed eadem fide, qua Nicolaitarum iactantia de autoritate Nicolai nixa est. 3. Ipsa dicti istius interpretatio Clementina coacta est, non sine nouo fabellæ indicio. Quid? quod

4. Cle-

4. Clemens expresse negat, concupiscentiariorios istos, vt ita loquor, sequi dogma viri apostolici, Nicolai, & e contrario affirmat, istos ab ipsius voluptatis decreto stare.

§. VI.

Consideremus nunc alterum Clementis locum de Nicolao, qui L. III. p. 426. ita se habet: *Meminimus nefarie ex Carpocratis sententia mulierum communionis. Cum autem de dicto Nicoloi loqueremur, illud praetermissimus. Cum formosam, inquit, haberet uxorem, & post Seruatoris assumptionem ei fuisset ab Apostolis exprobrata zelotypia. in medium adducta muliere, permittit, cui vellet, eam habere. Aiunt enim, hanc actionem ei voci consentaneam que dicit, quod carne vri (abuti) oporteat; eiusque factum & dictum absolute & inconsiderate sequentes, qui eius heresi sequuntur, impudenter effuseque fornicantur. Ego autem audio Nicolaum quidem nulla vnquam alia, quam ea, que illi nupsit, uxore usum esse, & ex illius liberis filias quidem consensisse virgines, filium autem permansisse incorruptum. Que cum iuste habeant, vitii erat depulsio atque expurgatio, in medium Apostolorum circumactio vxoris, cuius dicebatur laborare zelotypia: & continentia a voluptatibus, que magno studio parantur, docebat illud, vti carne, hoc est, exercere carnem (que vltima verba metaphrastes ex suo affluit ingenio, inuito textu Græco.)*

§. VII.

Manifestum est, etiam hunc locum esse pro Nicolao. Nam i Clemens expresse suum audio (πρωτόθετος sciscitor, percontor) 7^o aliorum inquit, vel aiunt, opponit. Et quemadmodum hoc Nicolaum absurdi & indignissimi facti imputatione onerat: ita istud ipsum & familiam eius integritatis & pudicitiae elogio ornat. 2. Quis vero non videt iudicii aberrationem in recensione facti, nimirum in
caussa

caussa zelotypiæ? Nam cum hic de zelotypia, secundum notionem vocis grammaticam & usum communem accepta, sermonem esse, non sit dubium, eaque pertineat ad iura coniugii communia, & sic speciatim ad officium, nequaquam vero ad vitium, boni mariti, scilicet ut, pro foedere coniugali solitario, riualem in eo non ferat: quis credat, Apostolos hoc ipsum exprobrasse Nicolao? Et quis viro, tantis Spiritus sancti dotibus ornato, vel vlla veri specie imputauerit tam absurdum & tam impium factum, quod coniugi, in medium & ipsorum Apostolorum conspectum productæ, permiserit nubere, cui vellet? Siccine dicendus est peccasse in semet ipsum, & in coniugem, & in quemcunque alium, per concessam triplicem foederis coniugalis violationem? Siccine officium zelotypiæ erat vitium, & istius experio huius expulsio & expurgatio? Et quis talia in conspectu Apostolorum quenquam vel ausurum, & hos ea probaturos fuisse, existimet? Quod si ea presentibus Apostolis perpetrasset Nicolaus, nonne ista cadem, qua in Ananiam & Sapphiram animaduernerunt, censura fuissent excepturi; utpote delictis Ananianis nequaquam leuiores? Taceo alia. Vtinam Clemens pro credula recensione iusta hic animaduersione in fabulæ insulsæ auctores fuisset usus! Hæc de Clemente.

§ VIII.

CLEMENTEM ita sequitur EVSEBIUS, ut H. E. L. III. c. XXIX. ipsum eius locum posteriorem adponat integrum, & quidem præmissa mentione, quod *Nicolaitæ IACTAVERINT, Nicolaum esse sectæ suæ auctorem*. Scriptores alios lubens prætereo; utpote qui nihil fere habent noui, sed ea, quæ iam excussa sunt, repetunt; præter EPIPHANIVM, qui hic omnium indignissime se gerit. Etenim hæresi XXV. (nam XXIV. sine vlllo fundamento iam præmiserat) non solum reperit fabellam de sectæ Nicolaitanæ origine & auctore, Nicolao, viro apostolico; sed præterea etiam

D

virum

virum optimum grauissimorum criminum imputatione connerat. *In eum, inter alia inquit, se diabolus insinuauit, eiusque mentem veterum illorum, quos commemorauimus, erroribus imbuit, ut etiam maius ipsi, quam illis, vulnus infligeret. x. r. l.* Paulo post Nicolaum hunc habet pro auctore Gnosticorum, inter sua doctrinarum portenta & flagitia etiam promiscuo foeminarum concubitu infamium. Et num. IV. cum eodem, aut potius cum larua sua, tanquam æonum gnosticorum inuentore, ita ex postulat: *Quid igitur est, o Nicolae, tibi quod opponam? quidnam disputabo? unde vobis turpem illam nescio quem æonem, & nequitie radicem & fecundam illam matricem, ac denique plures deos ac demones inuehis?* Item num. VI. *Quod si nonnulli celestis regni gratia facti sunt eunuchi, cur temet ipsum tuosque discipulos libidine ac foedissima voluptate decipis?* &c. confer ea num. VII. Studia prætermitto nonnulla e num. i. utpote ita comparata, vt sine dolore de dato eiusmodi descriptionis scandalo legi & recenferi nequeant.

§. IX.

Hæc vero EPIPHANII aberratio extantior nequaquam abripienda est in contemptum doctorum ecclesie priorum seculorum generatim. Quemadmodum enim EVSEBIUS cum CLEMENTE errauit leuius, & IRENAEVS, cum opus eius Græce non amplius exstet, e sola versione eiusdem erroris nequidem argui potest, uti iam supra monui, multorumque aliorum eadem est ratio: sic in ipsam veritatem iniurius est, qui ex vnius & alterius ingenio omnes ac singulos diiudicat. Eam enim animi malignitatem iudicio suo prudentioribus prodit, quæ ne lecta quidem vnquam, nedum intellecta, superciliose irridet & explodit. Certe qui IGNATHI, POLYCARPI, IUSTINI MARTYRIS, IRENAEI, TERTULLIANI, aliorumque complurium, scripta non legit cum digna ipsorum auctorum existimatione, sed, paucioribus istorum nãuis offensus, illos nullo habet numero locoque, illum sane oportet corruptissimæ esse mentis.

§. X.

§. X.

Quod si coniecturæ datur locus, vnde exorta sit opinio de Nicolao, viro illo apostolico, tanquam Nicolaitarum auctore, non opus est, vt cum D. ITTIGIO in *Selectis H. Eccl. capitibus* p. 317. existimemus, fortasse ab alio quodam Nicolao cognomentum illud certo hæreticorum generi adhæsisse. Cum enim denominationis ratio in Apocalypsi satis manifesta sit, in ea merito acquiescendum est. Quod vero pseudodidascali nonnulli, vitæ impuritate infames, postquam iam tum Nicolaitarum nomine in Apocalypsi insigniti fuerant, *de nomine Nicolai Antiocheni se iactauerint*, eo minus est improbable, quo manifestius hoc ipsum est e locis CLEMENTIS & EVSEBII. Cum enim nomine illo malæ notæ diacritico a fidelibus contemtm appellati sint spiritus isti maligni, videntur pro se allegasse Nicolaium, virum optimæ notæ apostolicum, & dogmatum, aut potius bdelygmatum, suorum originem ad ipsum retulisse, narratiunculis diuersis, quæ ob nominis rationem fidem apud imperitos inuenerunt, de ipso confictis.

§. XI.

Restat disquisitio, *virum Nicolaitæ fuerint proprie sic dicti hæretici, nec ne?* Quandoquidem hoc ipsum affirmatur communiter, videri quidem posset hæc quæstio superuacanea: at, quia non plane desunt, qui negant, non prætermittenda est. Negationis vero ratio præcipua ipsis hæc est, quod in Nicolaitis non *errores doctrine*, sed tantum *scandala vitæ*, quæ hæresin non constituunt, sed ante hosce Nicolaitas iam grassata sint, reprehendantur. Verum enim vero hanc rationem nullam esse, facile ex iis constabit rationibus, quibus hæresis ipsorum proprie dicta ex ipsorum erroribus, salutis fundamentum & ordinem euertentibus, facile euincitur, vti sunt: 1. *Ipsa scandalorum vitæ commemoratio pro emphasi sua recte intellecta*: 2. *Expressa corruptæ doctrinæ men-*

tio: 3. *contextus reliquus*: 4. *parallelismus* in epistolis Apolorum. De singulis seorsum quam fieri poterit breuissime.

§. XII.

Suppono autem, quod negari nequit, *Nicolaitas ad tempus fuisse membra ecclesiae visibiles*, etsi indignissima, ideoque fugienda, membris genuinis fuga conforti ideo iniuncta, partim in ipsis laudata: atque ita ipsos doctrinam christianam admisisse; at ut mutilate ac corruptissime, ita etiam superficialiter. Quod si enim doctrinam christianam in vniuersum damnassent, nullo modo se, tanquam membra, ecclesiae visibili associare potuissent, aut voluissent. Ipsos vero eidem se adsocialle, qui in textu Ioanneo non videret, is sane negaturus esset solem fudo caelo in meridie.

§. XIII.

Prima adfertur mei ratio est in ipsa *scandalorum vitae commeratione*. Ista apud Nicolaitas posita erant in *esu idolothyrorum idololatriæ & in scortatione*. At cum his quomodo integritas doctrinae, etiam respectu ipsius theoriae nude literalis & confessionis superficialiter, consistere potuit? Nam, ut breuitatis causa de *idolothytis* nihil nunc dicam, *scortationis* nomine, ut nemo vlla idonea ratione vnquam negauerit, hic non intelliguntur eiusmodi vitae impurae scandala, quae apud putrida ecclesiae membra cum ipsa theoria & confessione de ipsorum *diuoluptate* coniuncta sunt, & hac ratione tantum ad vitam pertinent: sed notatur ipsum impurissimum & ex impuro paganismo retentum, vel inde adsumtum, *dogma de scortationis omnique libidinis adiapheria, libertate christiana* respectu ipsius etiam theoriae & confessionis in *Epicuream licentiam* versa. Iam vero per ipsum hoc dogma, seu ipsius doctrinae bdelegma, totus salutis ordo corruptus concidebat, speciatim in eo doctrina de *peccato, de lege Dei, de regeneratione, conuersione, penitentia ac renouatione*, veraque ac viua *fide*. Quas doctrinas quis, nullus, aut exigui, momenti esse, dicere ausit? Et in tanta doctrina

narum.

narum ad salutis ordinem pertinentium corruptione quis apud eiusmodi ecclesie carcinomata incorruptam doctrinam, quæ salutis fundamentum constituunt, hypotyposin supponat? Certe in lupanari potius pudicitiam quæras, quam in istis istam doctrinæ integritatem. Et cum Nicolaitæ cum *Bileamo* pseudopropheta comparentur; nonne eo ipso etiam ipsi pro falsis doctoribus habentur?

§. XIV.

Secunda adferri mei ratio est in *expressa doctrina Nicolaitarum mentione*, Apoc. II, 14, 15, ubi ecclesie Pergamene exprobratur, quod etiam *ipsa*, (vbi alia nonnulla) habeat *καθάρτας τὴν διδασχὴν βαλαάμ, τὴν διδασχὴν τῶν निकολαιτῶν, qui tenent doctrinam Bileami, doctrinam Nicolaitarum*. At regeis, voce *doctrinæ* hic intelligi *consilium* Bileami de Israelitis per viam scortationis corporalis ad spiritualem, seu idololatriam, & per consequens in pœnas Dei grauissimas, pelliciendis. Bene. Nonne vero ipsa scortationis & idololatriæ praxis per eiusmodi *consilia* abibat in falsum & impium dogma, seu in perniciosissimam doctrinam? Nonne ideo τὸ διδάσκειν, *docere* ibidem Bileamo expresse tribuitur? Et nonne hoc ipsum ex eo simul euietum est, quod secundum argumentum antecedens idolothytorum & scortationis; raris ipsa *impurissima dogmata*, tanquam effectus causam suam, supposuerunt?

§. XV.

Tertia ratio est in *contextu*. Etenim v. 2. peruersi illi spiritus, Nicolaitæ, vocantur *κακοί, maligni*, nimirum etiam ratione doctrinæ, a qua ibidem dicuntur *apostoli mendaces*. Et v. 13. iisdem quoque ratione doctrinæ tribuitur *thronus satanæ*. Præterea huc pertinet ille parallelismus v. 20. ex ecclesia Thyatirensi de *Iesabele*, quæ respectu scandalorum, per *idolothyta & scortationem* datorum, dicitur *pseudopropheta, quæ seruos Dei docendo in errore egerit*. Quid de re eadem dici poterat manifestius?

D 3

§. XVI.

§. XVI.

Quarta denique adfertur mei ratio est in *parallelismo* *epistolarum apostolicarum* satis copioso. Quem cum iam pluribus exhibuerim in Dissertatione prima, partim etiam in secunda, sufficiat nobis iam vnicus locus ex 2. Pet. c. II. Hunc vero locum de *Nicolaitis*, seu *Bileamitis* istorum temporum, agere, eo minus potest negari, quo expressius Apostolus istis, de quibus agit, tribuit *viam Bileami*, v. 15. Nonne autem iidem erant & expresse vocantur *falsi doctores*, quorum *doctrina* cedat ad *ipsam redemptoris abnegationem* & ad *viam veritatis ludibrium* v. 1, 2. Et nonne ipsorum *doctrina concupiscentiaria*, qua sub specioso *almae libertatis* nomine, tanquam *esca quadam*, ἡ δὲ ἀσκήσιος ad quamuis impurissimæ vitæ licentiam traducebant, v. 14, 18, 19, 20, erat perniciosissima?

§. XVII.

Ad argumenta hæc biblica accedit illud ex IRENAEO L. III. c. XI. vbi is *Nicolaitas* hæreticis seculi primi *Cerinthianis* & *Gnosticis* annumerat, portentosis ipsorum doctrinis simul commemoratis; at ipsius Nicolai nulla plane mentione facta. *Gnosticos* vero seculi supponere eos eiusdem commatis homines in seculo primo, iam Dissertatione II. p. 27. seqq. contra eos, qui etiam hic contra tot clarissima epistolarum apostolicarum documenta contrarium sciscant, euici.

§. XVIII.

Ceterum mirum est, nonnullos viros doctos ex HEGESIPPI loco apud EVSEBIUM H. E. L. III. cap. XXXII. de *virginitate ecclesie*, vsque ad obitum Apostolorum ab hæresibus incorrupta seruata, nec non ex aliorum quorundam dictis, primum hæresum exortum ad Traiani, immo Hadriani, tempora referre, reclamantibus licet Apostolis in singulis fere epistolis. Nonne ipsa etiam naturalis logica subministrat regulam hermeneuticam, ea, quæ sensum admittunt,

mittunt, immo requirunt, comparativum, non accipienda esse in absoluto? Et quid veritati liquidissimæ ob stare potest nonnullorum imprudentior loquendi ratio? Aut num existimabimus, secessionem ab hæreticis, quæ ecclesiis ab Apostolis tantopere commendata est, nonnisi demum post obitum apostolorum esse factam, obsequio ipsis, dum viverent, negato?


§. XIX.

Hæc hætenus de hæresi Nicolaitarum, e scriptoribus ecclesiasticis delineata. Qui quemadmodum ea; quæ de eadem monumenta Apostolica tradunt, & Dissertatione II. considerata sunt, ex vna parte illustrent; sic ex altera eadem non parum obscurant intricantque. Atque ita optima est illa huius hæreseos idea, quam nobis ipsorum Apostolorum scripta exhibent. Et ad hanc ipsam lectorem suum iam suo

tempore remisit IRENAEVS c.l. *Plenissime inquir-*

ens, per Ioannis Apocalypsin manife-

stans.



PRAE-

PRAESES
RESPONDENTI

S. D. P.

ID nunc agis, carissime SCHULTZI, vt diligentiam in studiis, cum vitæ *εὐαξία* laudabiliter hucusque coniunctam, etiam publico colloquii academici specimine comprobes. Id quod quin tibi in decurrendo vitæ academicæ stadio calcar additurum sit haud exiguum, quemadmodum non dubito: ita confido, fore, vt spem impleas carissimorum parentum & meam. Et hac ratione etiam respondebis expectationi auunculi tui, viri admodum reuerendi, CHRISTOPHORI SCHUMACHERI, mei in Christo fratris & amici integerrimi & veterani, quem ante tria lustra apud Berolinenses in munere pastoralis successorem accepi exoptatum & meritissimum. Dabis itaque operam, vt doctrinæ purioris *ὑπερῶπιον*, quam a veterum hæresium labe purgatam mecum adferis, etiam fidei integritate & vitæ sanctimonia magis magisque exornes. Id quod vt eo præstes cumulatius certiusque, vberriam Spiritus S. gratiam, optimam studiorum magistram, tibi ex animo apprecor. Dabam Halæ Saxonum die XVI. Ian. MDCCXXV.

☞ (o) ☞


Bz 6179


ULB Halle

002 675 65X

3







13b

OGDOADIS DISSERTATIONVM
DE
HAERESIOLOGIA
SECVLI POST CHRISTVM NATVM PRIMI
ET SECVNDI,
TERTIA
DE
ILLVSTRATIONE
HAERESIOLOGIAE BIBLICAE
EA,
QVAM
IGNATIVS IN EPISTOLIS SVIS ET RELIQVI SCRI-
PTORES ECCLESIASTICI EXHIBENT,
PRAECIPVE
DE
CERINTHO, CERINTHIANIS
ET NICOLAITIS,
QVAM
IN REGIA FRIDERICIANA
DIE IANVARII ANNI MDCCXXV.
Publico eruditorum examini subiicit
D. IOACHIMVS Gangel 9.
RESPONDENTE
IOACHIMO SCHVLZIO,
LENZA-PRIGNIC.
S. THEOL. CVLTORE.

HALAE MAGDEB. TYPIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP.